

Dicebat de templo corporis sui.

✠ Lécitio sancti Evangélii secúndum Ioánnem 2, 13-22

- ¹³ **P**rope erat Pascha Iudæórum,
et ascéndit Hierosólymam Iesus.
- ¹⁴ Et invénit in templo
vendéntes boves et oves et colúmbas,
et nummulários sedéntes;
- ¹⁵ et cum fecísset flagéllum de funículis,
omnes eiécit de templo,
oves quoque et boves,
et nummulariórum effúdit æs
et mensas subvértit;
- ¹⁶ et his, qui colúmbas vendébant, dixit:
«Auférte ista hinc!
Nolíte fácere domum Patris mei domum negotiatiónis».
- ¹⁷ Recordáti sunt discípuli eius quia scriptum est:
«Zelus domus tuæ cómedet me».
- ¹⁸ Respondérunt ergo Iudæi et dixerunt ei:
«Quod signum osténdis nobis, quia hæc facis?».
- ¹⁹ Respóndit Iesus et dixit eis:
«Sólvite templum hoc
et in tribus diébus excitábo illud».
- ²⁰ Dixérunt ergo Iudæi:
«Quadragínta et sex annis ædificátum est templum hoc,
et tu tribus diébus excitábis illud?».
- ²¹ Ille autem dicébat de templo córporis sui.
- ²² Cum ergo resurrexísset a mórtuis,
recordáti sunt discípuli eius quia hoc dicébat,
et credidérunt Scriptúræ et sermóni, quem dixit Iesus.

Verbum Dómini.